Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 645
Quelle:
Copyright:

Pro *Parte Tertia* hic eadem de *Hypocritis* Excerpta occurrunt, de quibus ad *Cod.* DCXXXVI. mentem aperuimus. Nec eſt, quod addamus, niſi diſplicere, cum totum Operis hujus titulum *de Clauſtro Animae*, quoniam de Clauſtro Animae non niſi *unus* agat Liber, tum diviſionem ejus in *Libros* IV. quorum ſaltem *primus* pene nihil de *Clauſtro*. Qua de re viderit, qui olim *Hugonum Victorini* et *de Folieto* Opera ad dentatiorem limam revocaturus eſt, quam quidem Promulgatores *Rothomagenſes*.

III. *fol.* 105. *Incipit epiſtola domni Hugonis ad fratres de hamerisleve de ſoliloquio.* Initium: *Dilecto fratri G. ceterisque ſeruis chriſti Hamerisleue degentibus.* &c. Abfuit haec Epiſtola ab Exemplo, quod *Cod.* DCCCCLXXIV. produximus, cui ceterum conſonat praeſens, quod inſcribitur: *Incipit ſoliloquium dilectionis de arra animę.* et extat una cum Epiſtola T. II. edit. *ſuprac.* p. 223.

CCVII. VII B. 3

80 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 183. f. admodum nitide perſcriptus et literis capitalibus auro, coloribusque variis complectitur *L. Coel. Lactantii Firmiani*, Scriptoris Seculi IV, *Opera*, fuitque olim, ut nomen adſcriptum teſtatur, inter *Joannis Sambuci* Pannonii Tyrnaviensis Philologi insignis κειμηλια. Orditur ab elogiis, quae *Hieronymus* variis in locis *Lactantio* tribuit, iisque *cenſuram* ſubjicit, quae hoc initio: *Lactantius quem noſtri propter eloquentiam plurimum laudant* &c. primum occurrit in editione Veneta *Vindelini de Spira* MCCCCLXXII. f. *Cenſuram* excipit *Elenchus Capp.* Librorum VII. *Divinarum Inſtitutionum*, qui et ipſe jam in antiquiſſimis editionibus habetur. *Liber* I. minio inſcribitur: *Lactantij Firmiani de falſa religione liber primus*, incipitque: *Magno et excellenti ingenio uiri* &c. Statim *lin.* 1. voci *dediſſent* alia manus ſyllabam *di* inſeruit; plurimi enim Codices et Editiones antiquae *dedidiſſent* legunt. C. I. apoſtrophe tota *ad Conſtantinum Imp.* nobis deeſt. Loca *graeca* in ora libri manu coaeva latine redduntur. C. VI. vocem *Toyth*, quae in Codicibus diverſimode ſcribitur, relicto ſpatio noſter tranſſiliit. C. XXIII. nobis in *duo* ſectum eſt ita, ut a verbis: *Reſtant adhuc aliqua*, XXIV. incipiat.

L. II. C. 1. poſt verba: *Geſtio enim* deficiunt ea: *Conſtantine Imperator*, illicoque poſt rectius legitur *conuictis inanibus*, quam *manibus*. C. IX. ſub initium non habetur illa περιχωρη: *Sicut mater ſine exemplo* &c. nec illa haereſin Manichaeam ſapiens, quae mox ſubſequitur: *Fecit in principio bonum et malum* &c. denique nec longior illa: *Cur autem juſtus Deus* &c. quae verbis: *ad Deum deferat*, et: *Exorſus igitur* &c: ſubinde interjecta deprehenditur.